Primo, tamquam crudelem, furentemque inimicum, cujus ægritudo illum ad funeſtiſſimum quemlibet effectum rapere valeat.

Secundo, tamquam ſubdolum, callidumque inimicum, qui ut proximo ſuo noceat, utitur vaſerrimis inventis, quibus par eſſe poteſt ſpiritus verſipellex.

Tertio denique, tamquam inimicum fere invictum, cujus tela evitari non poſſunt, & plagæ quas infert nulla ratione curari.

Crudelitas ergo Detractionis; ejus verſutia, & difficultas propulſandi damni, quod infert, conſtituent univerſam hujus ſermonis partitionem.

*Vide in Tomo I. Bibliothecæ Moralis Evang. Titulum:* DETRACTIO.

*Erat* JESUS *ejiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Luc. 11.

II. ARGUM. Pro eadem die. Non levius peccatum eſt detrahenti aures præbere quam detrahere.

Veritas eſt Scripturis, Sanctorumque Patrum ſententiis innixa, ſingula vitia ſuum habere dæmonem, qui homines impellit in malum, eoſque ad illud patrandum ſollicitat. Hinc fit, ut nonnunquam dæmoni tribuatur nomen vitii, cujus auctor eſt, & dicitur, aliquis obſeſſus eſſe a dæmone avaritiæ, impudicitiæ, ſuperbiæ, vindictæ, verbo, ceterorum vitiorum, quæ per varios effectus oſtendunt varia media, quibus infelices illi ſpiritus utuntur ad nos tentandos, perdendoſque. Dæmon ergo mutus Evangelicus dæmon eſt, qui facit, ut taceamus, ubi loquendum eſt, cum viciſſim non deſint alii, qui nos ad loquendum inducunt, cum altum nobis ſilentium eſſet ſervandum. Verum ſi detractionis dæmon agit eos, qui alienæ exiſtimationi ſtudent officere, dicere etiam poſſumus dæmonem Evangelii mutum, dæmonem eorum eſſe, qui audiendis detractionibus oblectantur. Verum eſt, vitium hoc infamia laborare, nec deeſſe quoſdam honeſtos homines, quibus ſatis eſt conſcientiæ, & religionis, ut pati nequeant, ſe audientibus aliorum exiſtimationem proſcindi, quos tamquam fratres haberi fides jubet; ſed heu! Quam pauci numerantur! Hinc Sanctus Paulinus detractionem vocat *extremum diaboli laqueum*, in quem facile incidit, qui reliquos evitavit.

Quapropter cum hinc quidem alterum ab altero ſeparari non poſſit, & aliunde velim ad eos tantum loqui, qui audiunt detractionem, poſtquam alio in ſermone repræſentaverim mala, quæ pariunt detractores, mihi per vos liceat efficere, ut ex malo priori de altero feratis judicium, & utrumque comparans, vobis oſtendam enormitatem illius, quod minus metuendum exiſtimatis, & a quo vobis negligentius cavetis, probans

Primo, detractionem audire non eſſe levius peccatum contra juſtitiam, & caritatem, quam ipſum detrahere: Juſtitia quippe debet prohibere injuriam quæ fit proximo, cum illi nobis audientibus obtrectatur. Hoc primum erit punctum.

Secundo, Caritatem excitare debere nos ad proximi cauſſam tuendam, cum de illo detrahitur, & illius partes tueri, & hoc illud eſſe unum, in quo de illo poſſumus bene mereri. Hoc punctum erit alterum.

*Vide eumdem Titulum, quem in ſuperiori argumento.*

*Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur.* Luc. 11.

III. ARGUM. Pro eadem die. De Diſcordia, & Diſſenſione.

Nullum, auditores, regnum eſt, nulla in terris Reſpublica, quæ in Mundo ſtare poſſit ſine concordia, & conſenſione; & ſi illuc irrepit diſſidium, tunc cum Filio Dei dicere poſſumus; *Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur*. Et ſane cum intus bellum exarſit, & ejuſdem Civitatis incolæ, vel ejuſdem ditionis ſubditi, alii contra alios diſtrinxerunt arma, alterutra pars vicerit, non niſi communi ſumptu vincere poteſt, neque niſi de ſua cæde triumphat. Hoc autem effatum, quod toties probavit experientia in regnis hujus terræ, magis adhuc verum invenitur in Regno, quod Filius Dei in nobis inſtituit per Caritatem, quæ omnes ſimul Fideles conſociat, & de qua idem loquitur Evangeliſta, dicens: *Regnum Dei intra vos eſt*. (Luc. 17.) Itaque Salvatori noſtro ita cordi fuit hujus Caritatis praxis, ut voluerit hunc eſſe characterem præcipuum; quo veri fideles ſui dignoſcerentur. Hinc conjicere poteſtis, quod malum, & quam vaſtitatem pariat in hoc regno diſcordia, & utrum, qui illam ferit, habendus ſit tamquam pernicioſiſſimus inimicus. Ne igitur ægre feratis, ſi magno in argumentorum numero, quæ hodiernum mihi ſuppeditat Evangelium, in hoc immoror de chriſtiana Concordia. Hanc vobis hortaturus ſum ea vobis ob oculos ſtatuens mala, quæ in vobis parit diſcordia, & jurgia quæ fovetis ad invicem, & oſtendens quomodo hæc ſcindant regnum interius Filii Dei æque ac domos veſtras, atque familias.

Verum cum primi tumultus incipiant ex corde eorum, qui illos cient, atque fovent; ita ibi diſcordia majora parit mala, ac funeſtiſſimam vaſtitatem. Illi inde juſtitiam expellunt, pacem, & gaudium, per quæ in corde hoc regnabat Deus, ibique Regnum ſuum conſtituerat: *Regnum Dei juſtitia, pax, & gaudium*; & hoc illud eſt in quo ſita eſt vaſtitas, quam gignit diſcordia. Etenim

Primo deſtruunt juſtitiam, deſtruentes caritatem, & amicitiam Dei, per crimina, quorum ſunt cauſſæ,

Secundo expellunt pacem, & gaudium dividentes, ac in partes dirimentes cor ipſum in ſexcentas cupiditates, ac replentes illud totidem curis, quæ omnem illi vitæ auferunt ſuavitatem.

Hæc procul dubio duo illa ſunt, quæ etiam atque etiam concordiam nobis commendare debent, & quæ Sermonis hujus partitionem efficient.

*Vide In Tomo I. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum:* DISCORDIA.

# PRO FERIA SECUNDA

## POST TERTIAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

*Repleti ſunt omnes in Synagoga ira.* Luc. 4.

II. ARGUM. De Ira.

QUEM ad exceſſum incompoſita animi perturbatio non rapit homines, quandoquidem ſæpe leves ob cauſſas ad furorem uſque, & inſaniam procedunt! Non alio nobis opus eſt exemplo præter illud, quod nobis hodiernum proponit Evangelium. Cum Dei Filius in Judæorum Synagogam fuiſſet ingreſſus, ut ibi de more æternas doceret Veritates, & divina præcepta, de quibus venerat orbem terrarum eruditurus, palam ea cum eloquentia locutus eſt, qua ſtatim audientium admirationem ſibi conciliavit. Exprobravit vitia, damnavit abuſus, acriter contra flagitia invectus eſt ea cum auctoritate, quam miſſio, & character ſuus requirebat; Sed ut plerumque fit, veritas illos offendit, qui ſe perſtringi ſibi conſiliis intellexerunt. Videntes igitur in ſermonibus illius morum ſuorum cenſuram, tamquam phrænetici contra benignum Medicum irruunt. Indignantes in illum impetum faciunt, turpiter ejiciunt de Synagoga, violenter extrudunt ex civitate, trahuntque in verticem montis, ut illum inde præceps deturbent. Ecce gradus per quos ira hominem uſque ad inſaniam, & furorem rapit. De his iracundiæ effectibus mens eſt vobis habere Sermonem, ut vobis inſpirem horrorem adeo periculoſæ ægritudinis, & ut ſimul tradam, quibus modis illa ſubigi poſſit. Eſt enim inimicus adeo alacer, ut nemo unus inde integram victoriam valeat referre. Tempeſtas eſt, qua plerumque, ne cogitantes quidem, prævertimur, & cui cor noſtrum magis obnoxium eſt, quam mare procellis; ſed ubi ſæpe deficit ars, & induſtria. Quæ res me cogit, Auditores, ut hoc in ſermone vobis exhibeam

Primo mala, & funeſtos iræ effectus, quæ in Evangelio noſtro ad vivum deſcripti inveniuntur.

Secundo media ad prohibendum, ne virtus naufragium patiatur inter procellas, quæ in corde noſtro debacchantur.

*Vide hoc argumentum in Tomo II. Bibliothecæ Moral. Evang. Titulo:* IRA.

*Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac & hic in Patria tua.* Luc. 4.

III. ARGUM. Pro eadem die. Cuilibet deſtinata eſt certa gratiarum menſura.

Cum Dei Filius eſſet in Patria ſua, & videret, nullo in diſcrimine haberi a concivibus ſuis doctrinam ſuam, & miracula, quæ operabatur, annuntiabat illis, contemptum hunc eſſe cauſſam, propter quam privabat illos iis gratiis, quas large, effuſeque tribuebat Gentilibus, apud quos obſequium, quod ejus perſonæ deferebatur, & gratitudo, qua collata ab ipſo beneficia rependebantur, tutiſſima erat ratio promerendi effectus ipſius miſericordiæ. Hunc in finem Salvator duo illis narrabat Exempla, Eliæ unum, & alterum Eliſei, ad quos oppidani ſui confugere negligebant in ſuis neceſſitatibus, cum interim advenæ proficerent ex favoribus, quos Deus liberaliter Prophetis illis largiebatur; quæ cauſſa erat, propter quam Iſraelitæ carebant gratiis, cum interea Gentiles omnem eorum fructum perciperent. Hoc palam oſtendit, nos per contemptum gratiarum mereri, ne Deus nobis amplius concedat, niſi communes, & has etiam in menſura, ſecundum ſententiam Sancti Bernardi, & aliorum Patrum, cum Civitatibus generatim, cum privatis; cumque illæ ab utriſque contemnantur, fontem earum tandem veluti exhauſtum inveniri. Non audeo affirmare, eſſe ſtatum aliquem, in quo aliquamdiu vivitur, & in quo ita a Deo derelinquimur, ut nullæ pro nobis gratiæ ſuperſint, neque ulla ſalutis ſpes: quæ opinio mihi videtur non admittenda, quidquid nonnulli Doctores affirment. Verum ſi pro hac menſura intelligamus poſt certum peccatorum numerum, qui Deo uni cognitus eſt, poſt plures infidelitates, quibus ſuas gratias contempſimus, illas ab eo nobis ſubtrahi, & nobis gratias electas, frequentes, & validas denegari, hoc de fide eſſe exiſtimo. Etenim ex quo alio principio proficiſcitur cæcitas, qua Deus punit quoſdam peccatores, & hæc induratio cordis, de qua toties ſermo eſt in Scripturis? *Excæca cor populi hujus. Indurabo cor Pharaonis.* (Iſai. 6. Exod. 4. & 7.) Non quod lumen repente nobis deſit, vel quod fons Sanctorum motuum, quibus in bonum agimur, omnino exhauriatur; ſed hujuſmodi gratiæ non ſunt ultra adeo validæ, & Deo nos relinquente cum modico ſubſidio, quamvis poſſimus adhuc converti, tamen non convertemur. Loquor de validis, electiſque gratiis, quarum multitudinem numeratam eſſe contendo. Qua de re ſi dubitare non licet, quænam deeſt nobis metuendi cauſſa, ne contemptus gratiarum, quas recepimus, occaſio ſit, propter quam Deus eas nobis neget, quas ille impoſterum nobis deſtinabat? His poſitis in hoc ſermone vobis oſtendere volo

Primo, Deum ſingulis noſtrum deſtinaſſe certam gratiarum menſuram, quæ numeratæ, & determinatæ ſunt: intelligo gratias fortes, delectaſque; quia nemini id negat, quod ad ſalutem ſuam operandam eſt omnino neceſſarium.

Secundo, menſuram hanc eſſe incertam, & neminem ſcire poſſe, utrum gratia, quam negat, futura ſit ultima, quam illi ſe daturum decrevit Deus, poſtquam non niſi communes gratias ſit illi conceſſurus.

Tertio, menſuram hanc non eſſe omnibus parem. Non deeſſe aliquos, quos dereliquit Deus poſt primam, quam neglexerunt; & alios, cum quibus nequaquam uſus eſt hac ſeveritate, niſi poſtquam gratia centeſima abuſi ſunt. Quod autem certius mihi videtur, eſt, Deum, ut plurimum huic menſuræ cumulum non addere, niſi poſt gratiam inſignem, quæ critica poteſt appellari, cui reſponſum non fuit.

*Vide in Tom. II. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum:* GRATIA ACTUALIS: *& in Tomo IV. Titulum:* REPROBATIO, ſeu PRÆDESTINATIO.

*Medice, cura te ipſum.* Luc. 4.

III. ARGUM. Pro eadem die. De zelo falſo, & vero.

Vana curioſitas ſuperborum Doctorum Synagogæ, qui Dei Filium irrident, & exprobrant, eo quod nullum in patria ſua miraculum operaretur, eumque cogere adnitebantur, ut coram ſe non ſecus ac alibi mirabilia faceret, locum aperit loquendi fuſius de zelo ficto, & de qualitatibus quæ requiruntur in zelo, qui habet verum characterem zeli chriſtiani, qui proprius eſt eorum, qui conantur Salvatoris Regnum promovere; qua in re oſtendere licet

Primo fictum Zelum cupidum eſſe, & in bono, quod aliis procurat, ſuam tantummodo quærere utilitatem; quod liquet ex horum Phariſæorum exemplo petentium a Salvatore miracula non ad aliorum utilitatem neque ut ipſi converterentur, & ſequerentur illum; ſed ut inanem curioſitatem explerent; Ideoque non meriti ſunt, ut Dei Filius ipſis inſpectantibus miraculum ullum operaretur.

Secundo fictus zelus e contra obliviſcitur ſui, ut curet aliena. Ita ſuperbi Doctores illi facere conſueverant; invehebantur in minimas labeculas, quas in aliis videbant, quin de vitiis ſuis corrigendis eſſent ſolliciti.

Tertio temerarius eſt, furit ſine ſcientia, ac prudentia; atque tunc neque ſibi utilis eſt, neque proximo; quod facile innoteſcit in eorumdem Doctorum exemplo, qui aliena crimina cum ſeveritate, & ſine miſericordia puniri cupiebant, ipſi vero vaferrime vitia ſua virtutum fuco tegere ſatagebant.

Aliter efferri poteſt hoc ipſum argumentū.

Hoc argumentum in alium ſenſum flecti poteſt, oſtendendo eas qualitates, quas habere debet zelus Apoſtolici viri peccatorum converſionem quærentis. Nam

Primo enim habere debet Miſſionis legitimæ auctoritatem, neque injuſſus illi operam dare miniſterio, in quo non adhibetur a Deo, non ſecus ac Pſeudo-Prophetæ illi de quibus in Scripturis ſermo eſt, qui ſibi vindicabant provinciam annuntiandi verbum Dei, quin a Deo vocarentur, vel hoc illis committeretur officium.

Secundo ſcientiæ lumen habere debet: alioquin cæcus eſt alios adducens in præceps.

Tertio eſſe debet intrepidus, ſed cum prudentia, & modo; ne quid præpoſtere operetur; videlicet paucis Zelus eſſe debet gravis cum auctoritate, perſpicax cum humilitate, audax cum mediocritate.

*Vide in Tomo IV. Bibliothecæ Mor. Evangel. Titulum:* ZELUS.

# PRO FERIA TERTIA

## POST TERTIAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

*Ubi fuerint duo, vel tres congregati in Nomine meo, ibi ſum in medio eorum.*

I. ARGUM. De Chriſtiana amicitia.

QUAMVIS in Chriſtiana amicitia, de qua hodie verba facturus ſum, ſemper conjuncta ſit, immo etiam fere cum caritate confuſa, quæ Spiritus eſt Chriſtianiſmi; non ideo tamen unum, & idem eſſe, poteſt affirmari. Differunt enim objecto, cauſſa, & notione ipſa, quam de duabus hiſce virtutibus debemus concipere. Re vera Caritas univerſe totum complectitur Mundum, quin aliquem excipiat; quippe in hoc poſita eſt, ut proximum diligamus propter Deum, quæ cauſſa ad omnes homines extenditur. E contra amicitia non niſi inter paucos eſſe poteſt, & ardor illius eo magis infirmari videtur, quo magis late patet, & in turba, ingentique amicorum numero, extinguitur. Caritas, ut ſit perfecta, rationem non habet generis, gradus, aliarumve perſonalium qualitatum; e contra vero amicitia amicum deligit, ſimiles quærit, & plurimum tribuit genio, aliiſque talentis, potiſſimum vero propenſioni. Caritas nequit cuiquam negari, quicumque tandem ille ſit; nam prædiligendi proximum, quæcumque labes, aut vitium in eo deprehendatur, æternum viget obligatio. Sed in amicitia, cum multa dimetienda ſint, ut arctum fœdus conſocietur, non deſunt etiam occaſiones, quibus tenemur illud diſſociare, & communem dumtaxat caritatem fovere. Itaque amicitia aliquid ſuperaddit Caritati, unde fit, ut in Ethicis vocetur mutuus amor quarumdam perſonarum ſimul adhærentium per alicujus boni communicationem, quod eſſe debet commune, & quod amicitiæ quoddam eſt veluti fundamentum. Hinc liquet Chriſtianiſmum, qui adeo explicitum, & inevitabile proponit Caritatis præceptum, in quo complectitur ceteras novæ legis obligationes, nequaquam prohibere amicitiam, quæ nobis eſt communis cum Infidelibus; ſed illam perficere, & ex ſe ſanctam facere amicitiam, quæ nobis magno eſſe poteſt auxilio ad Dei amicitiam acquirendam, & ſalutem noſtram procurandam, cum pleræque Mundi amicitiæ Dei inimicitiam pariant, juxta Apoſtolicum illud: *amicitia hujus Mundi inimica eſt Dei.* (Jacobi 4.) Ad hoc autem argumentum cum aliquo ordine pertractandum, & regendas amicitias noſtras ad earum normam, quas Salvator a nobis petit in Evangelio, duo potiſſimum mihi videntur conſideranda, ut bonæ, ſanctæque fiant.

Primo delectus habendus eſt amicorum; amicitia enim debet eſſe intra paucos.

Secundo, quid ab amicis requirat viciſſim mutuum hoc fœdus; nam uti vulgo dicitur: inter amicos omnia eſſe debent communia.

Pars prima nobis oſtendet quanti referat bene eligere eos, cum quibus arctum fœdus amicitiæ ſumus inituri; Altera vero docebit quouſque procedere debeat hoc fœdus, ne abrenuntiemus amicitiæ Dei.

*Vide in Tomo I. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum:* AMICITIA.

*Si peccaverit in te frater tuus; vade, & corripe illum inter te, & ipſum ſolum.* Matth. 18.

II. ARGUM. Pro eadem die. De Correctione fraterna.

Hoc, mea quidem ſententia præceptum eſt maxime accommodatum ad exterminandum peccatum; & peccatorem ab errore revocandum; illum corripere, cum peccantem videmus, vel certo ſcimus illum peccaviſ-

gaviſſe; præceptum quod Filius Dei conceptis verbis nobis irrogavit in Evangelio. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum.* Sed in eo malum eſt, quod iſta correctio, quæ quidem actio eſt præſtantiſſimæ Caritatis, quæ valeat cum proximo exerceri, non minori cum difficultate fit, quam ab aliis facta recipitur; ideoque quantum noſtra ſuperbia ægre fert dedecus, quod ſibi putat inferri a corripiente, tantum amor proprius alios corripere perhorreſcat. Hinc anſam arripio vobis in hoc ſermone oſtendendi

Primo hujus præcepti utilitatem ex fructu, qui percipietur, ſi obſervatum fuerit eo modo quo Dei Filius inſtituit,

Secundo ad quos hoc præceptum ſpectet.

Tertio denique modum illius obſervandi, videlicet quid præcavendum ſit, ut hoc munere perfungamur,

Duplici verbo. Correctio hæc officium eſt, ultro, citroque exercendum; a quibuſnam facienda ſit, & quomodo ſit facienda.

Vide Bibliothecam ſub Titulo: FRATERNA CORRECTIO.

*Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.*

III. ARGUM. Pro eadem die. De Obedientia Eccleſiæ præſtanda. Vide idem argumentū prorſus aliter pertractatum.

De Obedientia Eccleſiæ debita duæ certiſſimæ propoſitiones Sermonis hujus partitionem ſuppeditare poſſunt; quarum prima eſt extra Eccleſiam nullam ſalutem eſſe ſperandam: altera vero ad hoc, ut ſalutem conſequamur, non ſufficere, eſſe in Eccleſia, niſi vixerimus ſecundum leges, & placita Eccleſiæ.

Quod ad primam ex duabus hiſce propoſitionibus pertinet: Primum conſtat ſine fide neminem ſalvari poſſe; quod teſtatur Apoſtolus: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* At in Eccleſia tantum fides vera invenitur; videlicet creduntur veritates, quas Deus hominibus revelavit: Per Eccleſiam illas nobis propoſuit, & per eamdem tamquam Organum ſuum nobis aperuit. Hinc Hæretici qui extra Eccleſiam poſiti ſunt, vel nullam omnino ex his veritatibus credunt, vel illas ex parte dumtaxat credentes, deſtruunt Fidei unitatem, ideoque nullam habent fidem, & miſere pereunt. Eccleſia cum Arca Noe comparatur, in qua tantum ſalvi facti ſunt, qui in illa erant incluſi, & qui per illam evaſerunt ex naufragio, quod reliquum genus humanum ſuſtulit. Quapropter Dei erga nos miſericordiam laudare debemus, cujus gratia nati ſumus in Eccleſia, & incluſi fuimus in hac Arca, ut ſi vellemus in tuto ſalutem noſtram collocaremus. Nonne erumpere debemus in gratiarum actiones pro tanto beneficio, quale eſt fons, & principium gratiæ beatitudinis noſtræ? &c.

*ad Hebr. 11.*

Secundo extra Eccleſiam non ſolum fides non invenitur, ſed neque Caritas, nec verus Dei amor, neque gratia Sanctificans, quæ nos Dei Filios efficiens, faciat Regni cæleſtis hæredes. Hoc nos docet Sanctus Auguſtinus per hæc verba, quæ in omnium ore verſantur. *Si quis abſque Eccleſia inventus fuerit, alienus erit a numero filiorum Dei; non habebit Deum Patrem, qui Eccleſiam noluerit habere Matrem.*

*Tract. de Symbolo c. 10.*

Tertio extra Eccleſiam in via ſalutis non ſumus; ergo qui ſunt extra viam hanc ſperare nequeunt ſe ad beatum illum terminum perventuros, quo omnes contendere debent Chriſtiani. Eccleſia nos regit, atque ſuis doctrinis deducit nos per verum Dei verbum, per Sacramenta, quæ nobis confert, & ſunt fontes gratiarum, & ſalutis, nec non per lumina, quæ de Cælo nobis promeretur. Qui extra Eccleſiam ſunt his omnibus carent ſubſidiis, cumque ſint extra viam, quo magis progrediuntur, eo magis aberrant, ac tandem in nullam reditus ſpem intereunt.

Pro altera propoſitione; ad ſalutem ſuam procurandam non ſatis eſt eſſe in Eccleſia vera, eamque palam profiteri; niſi leges ſerventur, & niſi Chriſtiani hominis vita reſpondeat huic profeſſioni: Primum enim ad ſalutem aſſequendam fides ſola non ſufficit, quod affirmant Hæretici, niſi cum caritate, boniſque operibus fuerit conjuncta; ſine quibus ſumus in Eccleſia tamquam membra mortua, non animata per Spiritum ſanctum, qui reliquum Eccleſiæ Corpus vivificat; & quamvis ab Eccleſia avulſi non ſimus, ut Hæretici, & Schiſmatici, non tamen participes ſumus vitæ gratiæ, quam Salvator nobis promeruit. Secundo, quia cum Eccleſia ſit ſancta propter allatas rationes, opus eſt, ut qui illam componunt, & ſunt illius membra, & filii, ſint etiam Sancti. Tertio, quia niſi vivimus juxta honorem, quo digni facti ſumus tamquam Eccleſiæ membra, hæc nos reputat tamquam rebelles filios, qui in proprio ſinu ipſius bellum indicimus. Quamobrem, cum multo nocentiores ſimus Ethnicis, & infidelibus, ſeveriori ſupplicio præ illis afficiemur, quia naufragium, licet incluſi in arca, fecerimus. *Ah! væ nobis ſi tantam neglexerimus ſalutem*, Sanctus Paulus exclamat. Quid enim non exprobrabunt ſibi in æternum mali Chriſtiani, eo quod adeo valida ſalutis ſubſidia contempſerunt?

*Hebr. 2.*

Hoc ipſum argumentum ſecuti oſtendere etiam poſſumus

Primo nos nullum ſubire diſcrimen noſmet rebus in omnibus ſubjicientes Eccleſiæ; in hoc enim ſequimur ducem, quem Deus dedit nobis ſequendum. In hoc ſequimur regulam, quam Sanctiſſimus quiſque ſecutus eſt; & habemus tutiſſimos fidejuſſores actionum noſtrarum, qui ſunt perſpicaciſſimi Paſtores.

Deinde, omnia in diſcrimen adducimus noſmet Eccleſiæ non ſubjicientes. Etenim vel ſequimur mentem noſtram, quæ fons eſt errorum omnium, & hæreſum; vel ſequimur ſenſum eorum, qui in errore verſantur, & qui recedentes a veritate, & via, quam ipſe Dei Filius nobis præſcripſit, non errare non poſſunt, & nos quoque ſecum in præceps trahunt.

*Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum*: ECCLESIA.

*Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* Matth. 18.

IV. ARGUM. Pro eadem die. De injuriarum venia. Argumentū hoc tractatur etiam in Evangelio Dominicæ 21. poſt Pentecoſtē.

Quamvis difficilis ſit lex a Dei Filio lata, injurias dimittendi, & inimicos diligendi, rationes, propter quas illam ſervare tenemur, validæ ſunt, & ſuperare debent, quidquid natura, conſuetudo, & Mundi leges ſuadeant.

Harum rationum princeps, & potiſſima eſt ſuprema imperantis auctoritas; jus quod habet præcipiendi, quod jubet; poteſtas, quam habet efficiendi, ut velimus, nolimus, jubenti pareamus, & minæ quas intentat inobedientibus.

Altera eſt pars, quam ſibi vindicat in noſtris inimicitiis, videlicet quia bonum, vel malum, quod noſtro fecerimus proximo, ſibi factum putat, odia noſtra, ultiones, & contumeliæ, quibus inimicos noſtros perſequimur, ad ipſum referuntur, & in ipſum tamquam inimicum invehimur. Bene igitur enucleandum eſt hoc Myſterium, quod illius innititur verbo, qui eadem eſt veritas.

Tertio injuria, quam nobiſmet ipſis faciamus nolentes dimittere exiguum debitum proximo noſtro; ſcientes Deum alioquin nequaquam miſerturum nobis, neque condonaturum immenſa debita noſtra, quæ cum ipſo contraxerimus, hoc eſt peccata quæ in ipſum patraverimus.

Aliter efferri poteſt hoc ipſum argumentum.

Hoc ipſum argumentum aliter efferri poteſt, atque oſtendi, tria perſonarum genera nolle ſemet ſubjicere huic legi per JESUM CHRISTUM latæ, qui eamdem vult omnino obſervari.

Primi dicunt, non poſſumus; quibus oſtendendum eſt hoc præceptum non eſſe impoſſibile, quemadmodum crediderunt Ethnici, & Hæretici nonnulli, quoniam quantumvis ſit difficile, Deus nobis ad illud ſervandum ſuppeditat vires.

Secundi dicunt; illud ſervare non debemus, & objiciunt rationem, conſuetudinem, Mundi placita, ſtatus ſui dignitatem, honorem, & leges ſuæ conditionis: quibus oſtendendum eſt, quam arcta ſit in Chriſtianiſmo obligatio, & quanta legis hujus juſtitia.

Tertii dicunt; illud ſervare nolumus. Hi ſunt impii, & iniquitati dediti, quorum pro viribus ſuperanda eſt pertinacia, exemplo, promiſſionibus, & minis Filii Dei.

*Vide in Tomo I. Bibliotheca Moral. Evang. Titulum*: AMOR INIMICORUM.

# PRO FERIA QUARTA
## POST TERTIAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

*Populus hic labiis me honorat: Cor autem eorum longe eſt a me.* Matth. 15.

I. ARGUM. De recta intentione in omnibus actionibus noſtris.

IN Chriſtiana Religione ſatis non eſt, Auditores, bona opera facere, niſi illa etiam bene facere ſatagamus; alioquin totus virtutis labor perficitur, quin merces illius percipiatur. Sæpe etiam ſanctiſſima caritatis opera migrant in crimina, & minus illud quod accidere poteſt malum, eſt multum ſuſtinere laboris, & parum meriti adipiſci. Etenim nonne hoc il-



lud eſt quod hodie exprobrat Salvator Phariſæis, qui procul dubio multa bona faciebant opera, & paſſim videbantur in nobiliſſimarum virtutum exercitatione, Jejunio, Eleemoſyna, Oratione; ſed qui hæc corrumpebant omnia prava intentione, non alium omnium bonorum operum ſuorum finem ſibi proponentes, quam captare hominum æſtimationem, quorum oculos perſtringere conabantur fulgore virtutis minime familiaris. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me.* Hoc autem vitium, quod Dei Filius ſæpe Phariſæis exprobrabat, noſtris hiſce temporibus pleriſque Chriſtifidelibus objici poteſt, qui ſexcenta bona opera faciunt, meritis vacua, quorum omnes auſteritates, laboreſque ad Cælum promerendum ſunt inutiles; cum enim ea faciant, ut videantur ab hominibus, eiſque placeant; hunc tuntummodo fructum, non alium, ſperare debent. *Hominum juſtitia, voluit videri, & viſa eſt*, Sanctus Petrus Chryſologus inquit, *voluit hominibus placere, & placuit: habet mercedem quam voluit: præmium, quod habere noluit, non habebit.* Hoc hodierna die excitare debet vos quidem, ne laborum veſtrorum fructum amittatis hoc tempore pœnitentiæ propter aliquam humanam rationem, quæ illos poſſet corrumpere; me vero ad aperiendum vobis inſigne ſecretum augendi in infinitum merita veſtra, & efficiendi, ut vel minimis actionibus veſtris acceſſio fiat meriti inæſtimabilis coram Deo per rectam, puramque intentionem, quam habere debetis illas facientes, quæ præcipua eſt conditio requiſita ad tantum bonum promerendum. Haud ægre feratis ergo, ut vobis tradam modum quo fruſtrari nequeatis fructu laborum veſtrorum. Quamobrem mens eſt oſtendendi vobis

Primo quomodo ex intentione illi fiant boni, vel mali, & illorum pendeat qualitas, & pretium.

Secundo, quam percipere poſſimus utilitatem ex adeo ſancta exercitatione, ut mirum in modum in virtutibus progrediamur.

Nihil nos promovere magis debet, quam duplex hæc veritas, & cenſeo mihi argumentum hoc eſſe familiarius pertractandum præ ceteris, & non recedendum eſſe ab eo ſimplicitatis charactere, quem habet ex ſe; praxis enim licet omnium dierum vel etiam momentorum, tamen eſt omnium ſolidiſſima, atque utiliſſima ad vitæ noſtræ rationem inſtituendam.

*Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum*: INTENTIO.

*Honora Patrem, & Matrem.* Matth. 15.

II. ARGUM. Pro eadem die. De Officiis filiorum erga Parentes.

Deus in hodierno Evangelio præcipiens, ut Parentes noſtros in honore habeamus, triplex amoris genus requirit; amorem reverentialem, amorem ſubmiſſum, & amorem officioſum; Hæc tria, quæ facile oſtendemus in probationibus, quas allaturi ſumus, totam ſermonis partitionem conſtituent.

Conſtans eſt veritas, & in Ethicis probatiſſimum axioma, Parentibus erga nos, quos genuere, duas ineſſe qualitates, vel prærogativas, quæ duo requirunt officiorum genera in filiis, & in illis duas poſtulant inevitabiles obligationes. Prima eſt fœdus propinquitatis, quo nullum arctius eſt in natura; altera eſt ſuperioritas quam Deus, & natura illis concedunt ſuper filios. Ex duplici hac qualitate, conſequitur, Deum, rationem, & leges civiles exigere, ut filii diligant, & revereantur eos, a quibus vitam acceperunt. Facile igitur probare triplici hac de cauſſa

Primo, filios Parentibus ſuis debere filialem amorem, qui maximus, & æquiſſimus eſt poſt illum, quem debent Deo, & qui creaturæ nulli debetur. Hoc itaque præceptum a Deo irrogatum immediate ſubjicitur officiis, quæ ſibimet ipſi præſtari vult; & primum obtinet locum in altera Legis Tabula.

Secundo, filios Parentibus ſuis integram debere in omnibus eorum præceptionibus obedientiam, quæ Dei voluntati non adverſentur; & obſequium omnibus eorum ſententiis, & conſiliis tum in negotiis gerendis, cum in ſtatu capeſſendo, & vitæ ratione ingredienda.

Hoc argumentū aliter efferri poteſt.

Alio etiam pacto argumentum hoc tractari poteſt, oſtendendo filiorum erga Parentes officia tria numerari.

Primo, eſſe honorem, & reverentiam, quia erga illos locum Dei tenent, & quia Filii ab illis vitam, & quidquid habent, receperunt.

Secundo, obedientiam, & ſubmiſſionem, cum enim adoleſcentia egeat conſilio, & duce, undenam hoc melius petere, & recipere poſſunt, quam a parentibus, qui majorem habent experientiam, amorem, & ad quos maxime ſpectat utilitas eorum?

Tertio, ſubſidium, & opem, quam afferre tenentur indigentibus, & in neceſſitate poſitis.

*Houdry Biblioth. univerſ.* Tom. poſtremus.

Aliter etiā flecti poteſt idem argumentum.

Tres etiam aſſumi poſſunt rationes ex Scripturis depromptæ, quæ nos jubent honorem, ſervitutem, & amorem parentibus impendere.

Prima ex Divo Paulo deſumitur; *Filii*, ait, *obedite Parentibus veſtris in Domino; hoc enim juſtum eſt.* Oſtendendum eſt hoc præceptum juſtum eſſe, & ad hoc nos omnibus juſtitiæ officiis teneri.

*ad Epheſ. 6.*

Secunda eſt, quia Deus ita jubet, & explicite imperat. *Filii obedite Parentibus per omnia; hoc enim placitum eſt in Domino*, ubi oſtendendum eſt Præceptum hoc a Deo latum, rationi eſſe conforme; & quantum illi ſit curæ; quemadmodum tantam pollicetur in hac ipſa vita remunerationem iis, qui illud ſervaverint, ac tot iis minas intentat, qui ſecus illud violaverint.

*ad Coloſſ. 3.*

Tertia, quia id animi gratitudo poſtulat, quemadmodum ex Eccleſiaſtici verbis innoteſcit. *Honora Patrem tuum, & gemitus Matris tua ne obliviſcaris; memento quoniam niſi per illos natus non fuiſſes: & retribue illis, quomodo & illi tibi*, & oſtendendum eſt quemadmodum poſt Deum, nemo eſt, cui teneamur majores habere gratias, quia a nemine majoribus cumulati fuimus beneficiis, ita neminem eſſe, cui gratiores eſſe debeamus.

*Eccleſ. 7.*

*Vide in Tomo II. Bibliotheca Moral. Evangel. Titulum*: FILII.

*De Corde] enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, & furta &c.* Matth. 15.

III. ARGUM. Pro eadem die. De pravis cogitationibus.

Dei Filius per allata Evangelici textus verba non ſolum ſalutare monitum tribuit, ſed tacite præcipit, ut cordi noſtro invigilemus; quia illi invigilantes, & arcentes ab illo pravas cogitationes, ſimul inveniemus rationem fideliter ſerviendi Deo, in quo tota ſita eſt ſalutis ſcientia; ſicuti hæc omnia complectitur placita ad vitæ ſanctitatem pertinentia. Invigilantes enim cordi noſtro pravas evitabimus cogitationes, adulteria, blaſphemias, aliaque peccata, quæ non prodeunt extrinſecus per actiones criminoſas, niſi poſtquam concepta fuerunt in corde. *De corde enim exeunt cogitationes malæ &c.* Hinc ſequitur, quod cordis ſui curam gerere eſt prohibere, ne ullam pravam cogitationem concipiat, quæ animæ mortem pariat; maxima enim ſcelera initium ducunt a cogitatione, quæ concipitur, & quæ ſæpe ipſa quoque magnum ſcelus eſt, quamvis nullus ſubſequatur effectus, & extrinſecus non erumpat. Hoc mihi præbet occaſionem hoc in ſermone verba faciendi de cura cordis a nobis gerenda, ut ſervemus vitam gratiæ, quæ in hoc ſita eſt,

*Matt.*

Primo, ut avertamus pravas cogitationes, quæ mentem fœdare poſſunt, & cor.

Secundo, ut propulſemus has eaſdem cogitationes, ſtatim ac earum cognoſcimus nequitiam, & periculum in illis immorandi. Cura illas ad examen revocandi, & fidelis celeritas illas rejiciendi, erunt duæ partes hujus ſermonis.

*Vide in Tomo II. Bibliotheca Mor. Evangel. Titulum*: IMPUDICITIA.

*Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem ſeniorum?... Quare & vos tranſgredimini Mandatum Dei propter traditionem veſtram?* Matth. 15.

IV. ARGUM. Pro eadem die. De Traditionibus bonis, & malis.

Scribæ, & Phariſæi ſuperbe, acriterque corripiunt JESU CHRISTI Diſcipulos, eo quod Seniorum traditionem nullo in diſcrimine haberent; quæ tamen non aliud erat, niſi quidam mos, & conſuetudo vel mala, vel indifferens, munita tamen temporum ſucceſſione, & multorum uſu, quod magnam illi comparabat auctoritatem. Mundi Salvator probare volens Diſcipulorum ſuorum innocentiam æquiori jure ſuperbos Doctores redarguit, eo quod ſubrogarent traditiones tantum humanas in earum locum, quæ a Deo proficiſcebantur, & quod potius illas ſequerentur quam Legis præcepta licet corrupta. Hoc mihi anſam præbet apud vos hodierna die verba faciendi de idolo ſæculi, vel potius omnium ſæculorum, quod mundus de genu veneratur. Idolum hoc eſt conſuetudo, & aliorum exemplum, quod quiſque ſequi ſtudet, & ad cujus normam ſeſe componere quærit. Et ſane quamdam habet illecebram, a qua ſibi cavere difficillimum eſt; immo quædam excuſationis cauſſa eſt, & prætextus in omnibus vitiis. Diceres, hoc ſupremum exercere imperium in animos, nam efficit neſcio quid Chriſtianæ Legi contrarium, quod tamen non abhorret ab uſu inter homines conſtituto. Non alia patitur ratio; hæc eſt conſuetudo; hoc ſatis eſt, ut probetur.

Cum autem hæc Mundi conſuetudo, quæ non eſt aliud, quam pravum exemplum, ſenſim, & ſine ſenſu prævaluerit, & facta tandem fuerit lex Evangelicæ legi contraria, & oppo-

oppoſita exemplo, quod nobis Dei Filius reliquit, vobis oſtendere fert animus

Primo cæcitatem, & errorem, in quo vivunt, qui pro vitæ regula ſequuntur humanas traditiones, conſuetudinem, & Mundi mores.

Secundo eos, qui conſuetudinem ſequuntur, eſſe in manifeſto, & inevitabili damnationis periculo.

*Vide in Tomo I. Bibliothecæ Moral. Evang. Titulum:* Consuetudo.

# PRO FERIA QUINTA

## POST TERTIAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

*Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Luc. 4.

I. Argum. De morborum uſu. De hoc argumento ſermo etiā occurrit in Evangeliū Feriæ ſextæ poſt IV. Quadrageſimæ Dominicam. Act. 10.

MAXIME familiaris Filii Dei in terris exercitatio fuit, Auditores lectiſſimi, curare infirmos ubicumque illum Caritas ageret; & plenum eſt Evangelium mirabilibus curationibus, quas operabatur quocumque pedem circumferret. *Pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes.* Etenim modo præcipui ex civitatibus, & inſigniores viri rogabant illum, ut dignaretur, domos ſuas ſe conferre ad curandos ægros morti proximos; populi modo catervatim confluebant, & ſecus vias exponebant, qua ille tranſiturus erat, infirmos, modo tandem Medicus iſte caritate incenſus ægrotantium preces præveniebat, & ab illis quærebat, utrum vellent curari. Hodie vero nobis repræſentat Evangelium Socrum Principis Apoſtolorum violenta febri laborantem, quæ Cæleſtis hujus Medici ope perfectam obtinet valetudinem. *Imperavit febri, & dimiſit illam.* Documentum autem, quod hodierna die haurire cupio ex hac Salvatoris conſuetudine, eſt vobis oſtendere prorſus oppoſitam agendi rationem quam nobiſcum ſervat, licet ab eodem fine minime abhorreat. Permittit ille corporum noſtrorum infirmitates, ut animarum noſtrarum morbis medeatur; iiſque utitur tamquam efficaci ad noſtram ſalutem, perfectionemque medicina. Itaque hodierna die apud vos ſermonem inſtituam de morborum utilitate, quos ſatis frequenter Deus nobis immittit, & de bono uſu eorum a nobis faciendo. Etenim quam utilitatem ſperare non debemus ex hoc uſu morborum ad acquirendam Chriſtianam perfectionem, quæ originem ducit a cruce, & paſſionibus Salvatoris? quandoquidem Ethnicorum ſapientiſſimus confeſſus eſt per morbos hominem in virtute proficere, ac fieri meliorem? Profecto errare non poſſumus dicentes cum Apoſtolo, pietatem expurgari, ac inter morbi dolores perfici. *Virtus in infirmitate perficitur*, quod locum dedit communi effato, quod conſiderare debemus non tamquam aliquod Paradoxum, ſed tamquam veritatem, quam probandam hodierna luce ſuſcipio; corporis videlicet ægritudines admirabilem parere utilitatem pro ſalute animæ; proſunt enim converſioni peccatorum, & juſtorum perfectioni; ita ut ex Sancti Auguſtini ſententia ob alterutram cauſſam a Domino humano generi permittantur. Duplici hoc in ſenſu ingerere volo omnes haſce utilitates. Dico igitur morbos

Luc. 4. — 2. ad Cor. 12.

Primo ſi peccatores ſumus, maximam habere vim, ut convertamur.

Secundo ſi juſti, proficere, ut efficiamur Sanctiores, & Perfectiores.

*Vide in Tomo III. Bibliothecæ Mor. Evangel. Titulum:* Morbi.

*Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Luc. 4.

II. Argum. Pro eadem die. Quomodo morbi acceprandi ſint.

Cum hodiernum teſtetur Evangelium præcipuum Salvatoris officium, dum viveret in terris fuiſſe corporeas infirmitates curare; hoc mihi locum præbet adhuc loquendi in hoc ſermone, de infirmitatibus, ac dicendi eas a nobis habendas eſſe primum tamquam effectum peccati originalis, quod naſcendo contraximus; & præterea tamquam pœnam, quam Divina Juſtitia nobis irrogavit pro peccatis, quæ patravimus, & etiam tamquam criminum noſtrorum effectum. Secundo tamquam probationem virtutis noſtræ, ac fidelitatis, quam Deus vult exercere. Tertio tamquam remedium ægritudinum animæ, quibus ſæpe medicinam facere vult Deus per corporis ægritudines, avellens nos ab hoc Mundo, & ſenſibilibus bonis, quæ deperimus; & admonens, ut de morte cogitemus, cujus veluti præcurſor eſt morbus. Variæ autem rationes ſub quibus morbum reſpicere poſſumus, nobis oſtendunt varias diſpoſitiones, cum quibus illum acceptare debemus.

Primo ſi morbum ſpectamus tamquam peccati originalis effectum, noſmet ſubjicere debemus Sententiæ, quam protulit Divina Juſtitia contra nos in perſona primi parentis, & conſiderantes illum tamquam pœnam propriis peccatis noſtris debitam, quæ quidem & magna ſunt, & multa, in ſpiritu pœnitentiæ recipere debemus mala, quæ nobis immittit Deus, & dicere cum Job: *Peccavi, & ut eram dignus, non recepi.* Job 33.

Secundo ſi morbum reſpicimus tamquam probationem, qua Deus periculum facere vult noſtræ fidelitatis, & tamquam virtutis noſtræ, atque patientiæ exercitium; nobiſmet perſuadeamus Deum melius non poſſe nobis ſuum amorem ſignificare, quam nobis præbendo media, & occaſiones teſtandi eidem fidelitatem noſtram, & perfectam providentiæ ipſius ſubmiſſionem.

Tertio ſi corporis infirmitatem conſideramus tamquam ſpiritualium morborum medicinam, quos crebro ignoramus, vel quibus parum afficimur, illi noſmet ſubmittere debemus cogitantes, nos obliviſci Dei, cum bona fruimur valetudine, & indigere, ut aliquem morbum nobis immittat, ut cogamur illum cogitare, & ad officium reverti adorantes conſilia miſericordis hujus ſeveritatis, quæ hac arte nos ad ſuam revocat ſervitutem.

*Vide locum in ſuperiori argumento connotatum.*

Alia ſermonis ſtructura, quam ſequi poſſumus in eodem argumento.

In hoc eodem argumento juſtus inſtitui poteſt ſermo illud in duo puncta partiendo. Primum quid in morbis faciendum ſit, & quomodo in illis ſe ſe gerere debeat verus Chriſtianus. Secundo quid poſt reparatam ſalutem præſtandum ſit.

Pro puncto primo. Primum ſtatim ac nos gravi tentatos morbo cognoſcimus, ad Deum confugiendum eſt nobis, & magis in illius ope confidendum, quam in Medentium arte, & Pharmacorum virtute, quibus tanta virtus ineſt, & efficientia ad nos curandos, quantam illis tribuere placet Deo. Secundo ſanitas a Deo petenda eſt cum perfecta ejuſdem voluntati ſubmiſſione, & conſilio eadem utendi ad ipſius gloriam, & accuratius animæ ſalutem quærendi. Tertio in ſpiritu pœnitentiæ offerendi ſunt Deo morbi dolores pro peccatorum noſtrorum ſatisfactione, & conſociandi cum doloribus Salvatoris, ejuſque Matris Sanctiſſimæ, ut facilius acceptentur a Deo.

Pro puncto alio. Quid poſt reparatam ſalutem præſtandum ſit. Primum habendæ ſunt gratiæ Deo, cui acceptam referre debemus valetudinem reparatam potius quam pharmacorum virtuti, & curæ, quæ a medentibus ſuſcepta fuit. Secundo eſſe debemus fideles Deo in adimplendis promiſſionibus, ac ſuſceptis conſiliis impoſterum ſanctiorem vitam ducendi. Tertio nobiſmet diligentius præcavere debemus, ne relabamur in crimina, quæ videntur hanc a Deo pœnam nobis promeruiſſe.

Aliter efferri poteſt hoc ipſum argumentum.

Poſſumus etiam aliter efferre hoc argumentum, & oſtendere morbos tribus rebus prodeſſe, quas operæ pretium eſt obſervare, ut inde fiat Sermonis partitio. Primum ad nos erudiendos; Secundo ad nos corrigendos; Tertio ad nos ſanctificandos.

Primo nos erudiunt; nihil enim melius efficit, quam infirmitas, ut conditionis noſtræ miſeriam ſentiamus; hæc enim docet, quid ſimus, oſtendit ſæculi vanitatem, in mentem revocat æternas veritates, quarum paſſim bona utentes valetudine obliviſcimur.

Secundo; præcipuus finis, quem ſibi proponit Deus in morbis, quos nobis immittit, eſt correctio noſtra: ſæpe, quia de re dubitari non poteſt, ut nos puniat; cujus punitionis finis eſt noſtra converſio. Vitæ mutatio, & experientia efficiunt, ut hoc medium, quo ad effectum hunc obtinendum utitur, ſit efficientiſſimum: *Percutiam, & ſanabo*, inquit Scriptura, & quemadmodum explicat Sanctus Ambroſius; *percutiam infirmitate, & ſanabo fide.* Profecto eſſet optandum ut bene valentes tales eſſemus, quales morbo affecti, ſumus; vel ſaltem quales nos poſt reparatam valetudinem futuros pollicemur. Deuter. 32.

Tertio conſtat morbis nos ſanctificari poſſe, & re ipſa ſanctificari per patientiam, & praxim aliarum Chriſtianarum virtutum.

*Adeundus eſt Titulus, qui ſupra;* Morbi.

*Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Luc. 4.

III. Argum. Pro eadem die. De cupiditatibus, quæ ſunt veræ animi ægritudines.

Cum Sanctus Ambroſius animi cupiditates febres ardentes vocet, in tertio hoc argumento loqui poſſumus de infirmitatibus animæ, quæ præ corporeis ſunt periculoſiores; & oſtendere neceſſitatem, quam habemus in Chriſtianiſmo bellum indicendi affectibus noſtris; ſubſidia ad illos coercendos, & fructus, quos ex hac victoria recipimus, atque hinc tres ſermonis partes efficere.

Pars



Pars prima. Præceptum ipſum, quo vitare jubemur peccatum, illudque in nobis evertere, quoad fieri poteſt, jubet etiam bellum inferre affectibus noſtris, eoſque coercere. Primum quia licet peccata non ſint; (quod cogitare gravis eſſet error, Deus enim illos in nobis poſuit, ut nos impelleret ad faciendum quod bonum eſt, & malum fugiendum;) tamen quemadmodum poſt originale peccatum inordinati fuerint, & plerumque ſint cauſſæ peccatorum noſtrorum, tenemur auferre cauſſas, ad pernicioſos effectus evitandos. Secundo, quia quamvis in ſemet peccata non ſint, facile fieri poſſunt, cum ſint peccatorum materia: quoniam ſecuti eorum impetum, & propenſionem, qua in peccatum tendimus, nos nocentes faciunt, & ſunt totidem vitia. Tertio, quia ſunt fontes inexhauſti peccatorum, quorum niſi inhibuerimus curſum, fontes ipſos exhaurientes, efficient, ut inceſſanter recentia perpetremus &c.

Pars altera. Cum Deus reliquerit in nobis affectuum noſtrorum rebellionem poſt omnimodam peccati originalis cladem, atque eorum ſeditionem permiſerit, ut eſſet nobis meritorum occaſio, & exercitatio virtutis; non tamen reliquit nos ſine validis adminiculis, quorum ope illos coerceamus, & prohibeamus, ne in peccatum nos rapiant. Hæc adminicula ſunt primo, Gratia, quæ nunquam nobis deeſt, ita ut quamvis in noſtra poteſtate non ſit primos eorum cohibere motus, poſſumus tamen ope gratiæ, quantumvis violenti illi ſint, progreſſus eorum frænare & validiora per orationem impetrare ſubſidia ad eos ſuperandos. Secundo, Vigilantia Chriſtiana ad præcavendas occaſiones, in quibus eſſet periculum cedendi viribus eorum. Tertio, Timor Dei, & ejuſdem imperiis ſubmiſſio: quoniam nobis præcipit, ut Mari, ut tumentes fluctus coerceat, atque intra ſtatutos ſibi fines contineat.

Pars tertia. Bona, quæ nobis cedunt ex affectuum noſtrorum victoria, ſunt, Primo, Pax cordis, & conſcientiæ quies. Secundo, Chriſtiana libertas, quæ nos liberat a ſervitute dæmonis, mundi, & peccati, cui ſunt obnoxii, qui ſuis parent cupiditatibus. Tertio, Certa ſpes remunerationis æternæ victoribus earum promiſſæ.

*Vide in Tom. I. Bibliothecæ Moral. Evangel, Titulum:* Affectus.

# PRO FERIA SEXTA

## POST TERTIAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

Jesus *ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.* Joann. 4.

I. Argum. Quomodo gratia vulgo ſe ſe gerat in converſione peccatorū.

EX omnibus Quadrageſimæ Evangeliis illud, quod hodierna die nobis proponit Eccleſia ſublimioribus abundat ſententiis, & refertum eſt numero veritatum, & documentorum, quæ continet. Etenim ubinam magis nitet Incarnati Verbi bonitas erga mortalium miſerias? Neque enim vel ex itinere collecta laſſitudo, neque ſitis, neque caloris æſtus tam cogunt Salvatorem, ut ſecus fontis hujus oram quieſcat, quam deſiderium ibi expectandi, & convertendi peccatricem, atque ut loquitur Sanctus Cyrillus, tendendi retia ſecus aquas feliciter aucupia capturus animam infidelem ac per illam illecturus incolas Urbis, & regionis illius ad veritatis cognitionem. Si nunquam magis elucet Dei potentia, niſi in peccatorum converſione; ubinam fulgidius conſtat, quam in infringenda mulieris hujus pertinacia, cujus mores æque, ac Religio corrupti erant, ideoque validiſſimos obices ſupremæ huic poteſtati opponebant? Sed præſertim quonam inſigniori exemplo gratiæ ſuæ praxim oſtendit, quam captando occaſionem erudiendi hanc mulierem, adeo feliciter diſponendi illam, ac tanta induſtria illam inducendi, ut tandem referat triumphum de illius calliditate, ac renitentia, ut illam in primam convertat Apoſtolam, quæ nuntiet Meſſiæ adventum univerſæ civitati, quæ ſuis egreſſa finibus confluit ad illum agnoſcendum, recipiendumque?

In ea ratione, qua gratia operatur, cujus dexteritas, ac virtus in toto hoc Evangelio dominantur, hodierna die potiſſimum immoror, & in tanta Myſteriorum, ſententiarum, & documentorum copia, quæ in eo continetur, eam deligo conſiderandam veluti finem ad quem tendunt reliqua, tamquam argumentum, ex quo fructum uberiorem ſumus percepturi. In quo ut aliquam methodum ſequamus, & uno tantum argumento complectamur totum hujus diei Evangelium, reperio, cum Sancti Patres, atque Interpretes verba faciunt de hac admirabili Hiſtoria, exhibere nobis Salvatorem Mundi, modo tamquam aucupem retia tendentem huic animæ peccatrici, quæ ita feliciter remanet capta, ut nullo modo poſſit elabi; & modo tamquam exercitus Imperatorem, qui arcem, rebellemque urbem aggreditur. Verum illi hujuſmodi utuntur ſimilitudinibus, & comparationibus, ut nos doceant, illum ſimul uti omni induſtria, & vi ad obtinendam peccatoris converſionem. Etenim

*Houdry Biblioth. univerſ.* Tom. poſtremus.

Primo elucet induſtria, quia adoritur cor iſtud oblique, & ea ratione, qua opus eſt, ut illud eo adducat, quo cupit.

Secundo vis eniteſcit, quia denique illud cogit, ut poſt tot fugas, atque obnitentias ſe ſe dedat.

Hæc duo illa ſunt, quibus non hodie tantum Salvator in Samaritanæ, ſed etiam quotidie in aliorum peccatorum converſione utitur; cumque hoc præcipuum illud ſit, ubi de gratia agitur; hoc etiam totam ſermonis partitionem conſtituet.

*Vide in Tomo II. Bibliothecæ Moral. Evang. Titulum:* Gratia.

Jesus *ergo fatigatur ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.* Joann. 4.

II. Argum. Pro eadem die. Varii Gratiæ motus ratione tum Dei illos cientis, cum hominis illos accipientis.

Conſiderari poſſunt varii gratiæ motus in Evangelio noſtro ad vivum expreſſi tum ratione Dei illos cientis, cum ratione hominis illos recipientis. Primum ratione Dei. Non poſſumus ſatis admirari ſapientiam, & bonitatem Patris Miſericordiarum in ea, qua utitur arte, ut ab hominibus recipiatur gratia, quam illis præſentat, quamvis non mereantur illam, & quamvis ſæpe eadem ſe indignos præbuerint, quemadmodum videmus in Samaritana. Secundo ratione hominis gratiam recipientis, non ſatis aſſequi licet malas artes, quibus utitur ad illam illudendam, ut ſe ab illius obedientia diſpenſet. Quod in ipſo noſtro Evangelio facile eſt animadvertere; & quod ſermonis partitionem efficere poteſt.

Quod pertinet ad partem priorem: hæc ars ſapientiæ, & bonitatis Dei apparet primum in multitudine gratiarum, quas nobis largitur, in ſincero deſiderio noſtræ ſalutis; quandoquidem hæc totidem ſunt ſalutaria adminicula, quæ ſuppeditat, ut deducat nos ad beatum finem, ad quem nos deſtinavit, & quæ propterea a nobis grati animi ſenſum requirunt. Etenim, ut omittamus exteriores gratias, cujuſmodi ſunt illæ bonæ educationis, exemplorum bonorum, vocationis ad hoc, vel illud officium, & hunc vel illum vitæ ſtatum, quibus utitur ad exequenda magna illa conſilia, quæ de nobis ab æterno concepit: quot luminibus in ſingulos dies ſpiritum noſtrum illuſtrat; quot ſanctis motibus, ardoribuſque noſtram fovet voluntatem? Quot hujus generis gratias recepimus? Ille nos ſexcentis urget, atque ſollicitat, cum ne cogitamus quidem. Nos viſitat ſæpe, cum longius ab illo receſſimus, & in omne flagitiorum genus abdidimus; quod apparet in noſtra hodierni Evangelii peccatrice; & neminem unquam derelinquit, quantumvis nequam, uti non præbeat ſubſidia, quæ ſufficiant, ut emergat ex criminum abyſſo in quam lapſus eſt. Secundo hæc ars renidet in eo, quod gratia Dei varias induit formas, ut inquit Apoſtolus, *Multiformis gratia Dei.* Modo enim invitat, modo minitatur; modo nos ſuis illecebris attrahit, modo nobis metum incutit, & terret. Nunc conſolatur ſpem immittens divinæ miſericordiæ, modo nobis intentat judicis ſeveri ſententiam. Nulla eſt ars, qua non utatur gratia, ut ſibi cor noſtrum conciliet. Tertio hæc ars adhuc peculiariter magis elucet in gratiæ obſequentia, quæ noſtro ſe ſe accommodat ingenio, ſtudiis, naturæ, & ipſis etiam affectibus noſtris eorum ſæpe mutans objecta, quin naturam evertat, ut innoteſcit in Sancta Maria Magdalena, & in eadem Samaritana; quarum Dei Filius ſibi captivavit benevolentiam, & confidentiam per infinitam dulcedinem ſuam, in Sancto Paulo, & Auguſtino. Se ſe accommodat ſtatui, & conditioni mortalium; ab his pauciora, ab aliis plura expetit, ſed nihil unquam, quod noſtras ſuperet vires. Senſus, quos in nobis ciere debent hujuſmodi conſiderationes, ſunt gratitudo, integra in Dei bonitate confidentia, timor delaſſandi ejus patientiam, & propoſitum noſmet impoſterum præbendi fideliores gratiis Dei, quam fuerimus hactenus.

1. Petr. 4.

Pro parte altera. Hactenus admirati ingenium divinæ miſericordiæ in gratiarum ſuarum diſtributione, & arte, qua ſibi cor humanum conciliat, deplorare debemus miſeras artes, quibus utitur mortalium nequitia ut gratiæ motus eludat; quandoquidem nunquam callidiores ſunt,



quam

quam ut omnia in ſuum detrimentum convertant. Primum pro artium omnium verſutiſſima recenſeri poteſt illa oculos obſtruendi luminibus gratiæ per formalem reſiſtentiam, atque ut loquitur Job per apertam rebellionem: *Ipſi fuerunt rebelles lumini*. Etenim quemadmodum gratia, licet valida, & potens, tamen in agendo abſtinet vi; ſed hominem relinquit in plena, integraque libertate eidem aſſentiendi, vel eam rejiciendi; non deſunt peccatores, qui ut majori cum impunitate ſcelera committant, & tranquillam in flagitiis ſuis vitam ducant, rejiciunt Cæli gratias, & permanent cæci in ſumma luminum copia, obduratique in tanta multitudine motuum, quibus pertinaciter obluctantur. 2. Secunda eſt illorum ars, qui cum nondum omnem pietatis ſenſum abjecerint, nolunt tamen conterere nexus, quibus prohibentur, ne ſe mancipent Deo; & ne cogantur ſe ſe dedere luminibus, & illecebris gratiæ, ab illa mentem avertunt; ſexcentis aliis vacant negotiis, ne uni quod præcipuum eſt, vacent; ſuaviſſimas quærunt ſocietates, ac alia ſolatia, quæ efficiunt ut omnes ſanctæ cogitationes evaneſcant. 3. Tertia denique ars, eorum eſt, qui cum minime poſſint ſe abſcondere, ac ſubtrahere ſe luminibus gratiæ, neque evitare intrinſecos motus ejuſdem, quærunt ſaltem in dies deditionem differre, quemadmodum de ſe ipſo teſtatur Sanctus Auguſtinus; *Modo, & modo: & illud modo non habebat modum*. 4. Alii tandem per calliditatem, vel potius indignam diſpenſationem nolunt niſi ex dimidio ſui dedere Deo, Deum cum Mundo conciliare volentes, & obſequi gratiæ dumtaxat in quibuſdam rebus, quod Deum cogit, ut omnino recedat. Hæc omnia videmus cum in noſtro Evangelio, & in Verbis Salvatoris adeo explicite connotata, ut ſuavitas, & vis gratiæ ſua in luce refulgeat: tum in reſponſionibus Samaritanæ mulieris, in quibus patet verſutia peccatoris, ejuſque reſiſtentia, ita ut nihil eſſe poſſit explicatius.

Job 24.

*Vide eumdem locum, quem in ſuperiori argumento indigitavimus.*

III. ARGUM. Pro eadem die.

Sumptis pro Textu iiſdem Evangelii verbis oſtendere poſſumus artes multiplices, quibus Gratia viam ſibi aperit in cor peccatoris, & docere

Primo quibus mediis utatur gratia ad peccatorem convertendum. Illum prævertit, eique obviam occurrit ne cogitanti quidem; quærit ut ita dicam commoda fandi tempora, & occaſiones idoneas; illuſtrat mentem illius; effundit in eam lumina, quæ illi proponunt videndas alia prorſus in luce veritates æternas, procul ab ea, qua hactenus viderant; tangit cor illius, & efficit ut oboriatur in eo deſiderium ſequendi Deum, & a nequitia diſcedendi.

Secundo, quibus mediis uti debeat peccator, ut ſe gratiæ fidelem exhibeat. Attentum ſe præſtare debet omnibus gratiæ motibus; celeriter illi debet reſpondere, ne prætervolet non amplius reverſura: *Neſcit tarda molimina Spiritus ſancti gratia*. Debet tandem afferre conſtantem fidelitatem in exequendis iis, quæ ab eo expetit gratia.

Aliter efferri poteſt hoc ipſum argumentū.

Alia etiam ratione hoc pertractari poteſt argumentum; videlicet gratiam conſiderare poſſumus

Primo quatenus oblatam; atque tunc ad examen revocandum eſt pretium illius: quanti ſtetit illa Filio Dei; finis propter quem illam exhibet nobis, & ad quid nobis ſit neceſſaria. Quod efficiet ut enixis precibus illam flagitemus, & cum ſubmiſſione ei præſtolemur.

Secundo conſiderare illam poſſumus tamquam receptam, atque tunc ex nobis exigit fidelitatem, grati animi ſenſum pro tanto beneficio, & alacritate, ut illi obſequamur.

Oſtendi etiam poteſt ſuavitas, & vis gratiæ.

Suavitas apparet, quod lenit, & levius facit jugum ſervitutis Dei, ita ut amemus quidquid corrupta natura faſtidit, & repleamur gaudio, & conſolatione in graviſſimis tribulationibus.

Secundo vis apparet, dum efficit, ut omnes vincamus affectus quamvis violentos, & intractabiles, ut ſuperemus obices inſuperabiles, ut ſuſtineamus occaſiones periculo propiores, & tentationes acerrimas, ac tandem ut difficillima quæque ad optatum finem perducamus.

*Vide in Tomo II. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum:* GRATIA.

## PRO IV. DOMINICA QUADRAGESIMÆ.

*Unde ememus panes, ut manducent hi?* Joannis 6.

I. ARGUM. De Providentia Dei in Juſtorum neceſſitatibus.

ITA Mundi Salvator ab Apoſtolis ſuis percontatur in hodierno Evangelio periculum facturus fidei, & confidentiæ illorum. Verum Auditores lectiſſimi, quid vobis videtur reſpondendum fuiſſe ab illis, qui illum jam viderant tot, tantaque miracula operantem? Ecce nihilominus quod in urgentiſſima neceſſitate, & occaſione, in qua Dei Filius tenebatur non deſerere eos, qui omnia deſeruerant, ut illum ſequerentur; de ceteris cogitant adminiculis, quin intelligant, eum, qui hanc populi multitudinem ſermonis ſui illecebra in deſertum adduxerat, & qui eorum animas divini verbi pabulo aluerat triduo, facilius proſpicere poſſe corporum neceſſitati. Sed veritatem fateamur. Nihil magis patet, quam Dei providentia, quæ regit, & alit totum hunc Orbem; de qua homines tamen in ſuis neceſſitatibus minime cogitant. Quamvis nobis perſuaſum eſſe debeat, & reipſa perſuaſum ſit de miſeria noſtra, & modica poteſtate quam habent creata ad opem nobis ferendam in neceſſitatibus; tamen Deus ille eſt ad quem ſerius confugimus. Deplorabilis humanæ mentis cæcitas! Quid? Nunquam ne intelligamus in divina providentia nobis potiſſimum eſſe confidendum? Naturæ ordo, Cælorum motus, Elementorum conſenſus, & tanta creatarum rerum varietas, quibus quotidie proſpicit Deus, ubique providentiæ ipſius gloriam enarrant; homines ſoli, qui illius ſunt præcipuum objectum, impugnant illam, vel rationibus, vel ſaltem actionibus, & diffidentia, quam in ſuis neceſſitatibus præſeferunt.

Dei Filius, qui toties exprobravit Apoſtolis ſuis modicam in re hac fidem, hodierna die viam miraculorum adhibet, ut per celeberrimam hanc panis multiplicationem, in Evangelio deſcriptam, illos perſuadeat, & futurum ſpero, viam hanc ab hujus deſerti ſeceſſu ad noſtras uſque aures perſonaturam. Quamobrem quin immorer in generali hac Providentia, quam habet ſuper omnia creata, quandoquidem miraculum hoc operatur in gratiam eorum, qui illum ſequuntur, fert animus vos alloqui de ea tantum, qua peculiariter proſpicit Juſtis, in qua deprehendo duas qualitates, quas Sapiens tribuit huic generali providentiæ: virtutem nempe, & ſuavitatem: *Attingit a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter*. De duplici hac qualitate hodierna die apud vos ſermonem inſtituam. Sap. 8.

Primo quidem de virtute, quæ ſe ſe prodit efficaciter conſulendo neceſſitatibus confidentium in Deo.

Secundo de ſuavitate, quæ efficit ut citra ſollicitudinem, laboremque vivant beatiores in ſua mediocritate, quam in omnium hujus Mundi bonorum affluentia.

*Vide Titulum:* PROVIDENTIA *in Tomo III. Bibliothecæ Mor. Evang.*

*Accepit ergo* JESUS *panes ..... & diſtribuit diſcumbentibus, &c.*

II. ARGUM. Pro eadem die. De Providentia generatim.

Nulla eſt in Deo perfectio, quæ quovis tempore magis obnoxia fuerit contradictionibus hominum, quam Providentia. Alii prorſus illam ignorant, quomodo fecerunt priſci quidam Philoſophi, & adhuc faciunt Athei per voluntariam cæcitatem, ne aliam habeant vivendi regulam, niſi propriam cupiditatem. Alii eam inſimulant, & reprehendunt tamquam injuſtam in bonorum, malorumque vitæ hujus diſtributione. Hos proprius amor excæcat, ſe ipſos tantum diligunt, ſuis commodis, ac negotiis ſtudent, ea probant, quæ ſibi placent, & de divina erga ſe Providentia murmurant, & conqueruntur. Alii denique ſunt Mundi Sapientes, atque politici, qui magna moliuntur, & qui in cœptis ſuis ſibi blandiuntur rati, ſe quod contendunt, aſſecuturos induſtria ſua, calliditate, technis, quin a Dei Providentia pendere velint, & in eodem confidere. Hæc tria ſunt mortalium genera, quos cum Scriptura profugos, ac deſertores Providentiæ vocare poſſum, & hoc ſermone impugnare.

Primo aliis perſuadens veritatem, & neceſſitatem Providentiæ, quæ regit, & gubernat omnia in hoc Mundo.

Secundo illis, qui murmurant, vel queruntur, oſtendens illam eſſe infinite ſapientem, & juſtam in ordine, quem conſtituit, & ratione qua omnibus proſpicit.

Tertio denique illis, qui ab ea nolunt pendere, & qui in ſua tantum induſtria, viribuſque confidunt, oſtendens, eos ſine illa nunquam ſummam votorum ſuorum aſſecuturos, & omnia illis in perniciem ceſſura.

*Vide Titulum:* PROVIDENTIA, *quem ſupra indicavimus.*

In



III. ARGUM. Pro eadem die, & de eadem Providentia.

In hoc ipſum Evangelium de panis multiplicatione tres diſtingui poſſunt partes ſermonis, oſtendendo

Primo per Providentiam quam habet Deus erga homines, ipſum miſereri neceſſitatis, qua laborabat populus, qui illum ſecutus fuerat in deſerto: *Miſereor ſuper turbam.*

Secundo, miſertum quæſiviſſe modum opem ferendi: *Unde ememus panes, ut manducent hi?*

Tertio, modo hoc invento, utitur illo daturus homini affluenter, unde nutriatur uſque ad ſatietatem. *Manducaverunt, & ſaturati ſunt.* Tria hæc præſtat Dei Filius ſolatium allaturus populo, qui illum ſecutus fuerat.

Aliter efferri poteſt Argumentū hoc de Providentia.

Hoc argumentum de Providentia alio adhuc modo poteſt inflecti; in cujus parte priori adornari poteſt elogium ipſius Providentiæ oſtendendo illius qualitates; ejus attentionem in omnibus generalibus, & particularibus neceſſitatibus; bona quæ nobis procurat confidentia, quam habemus in illa, quæ ſunt, nos liberare ab inquietis ſollicitudinibus, quibus jugiter torquentur, qui in ſe tantum, induſtriaque ſua, vel in ope humana confidunt.

In parte altera texi poteſt ejuſdem Providentiæ Apologia contra ejus inimicos; oſtendendo rationes, propter quas alii eam ſtudent evertere, ineptas eſſe; cenſuras quas critici quidam commenti ſunt, nullis rationibus inniti; temerarias eſſe, & inſaniam ſapere; & aliorum tandem querimonias, eſſe infinite Deo contumelioſas.

## PRO FERIA SECUNDA POST QUARTAM QUADRAGESIMÆ DOMINICAM.

*Aſcendit* JESUS *Jeroſolymam, & invenit in Templo vendentes, & omnes ejecit de Templo.* Joannis 2.

I. ARGUM. De reverentia Templis debita. De hoc argumento jam locuti ſumus in Evangelium feriæ ſecundæ poſt ſecundā Quadrageſimæ Dominicā.

DEFECTUS reverentiæ in Templis eſt proculdubio abominatio in oculis Dei; quippe mundi Salvator, qui tot nobis reliquit exempla manſuetudinis, atque patientiæ in perferendis graviſſimis iniquitatibus noſtris, hanc videre non potuit, quin zelus gloriæ Patris ſui illum ad ultionem ſtatim in arena depoſcendam urgeat; illud vero in hoc facto longe admirabilius eſt, quod cum Deus ut plurimum imitetur Reges, ac terræ principes, qui per ſemet gratias largiuntur, ac tribuunt beneficia, ſed ſcelera punituri miniſtrorum ſuorum opera utuntur, hodierna die Filius Dei ſibi hoc munus depoſcit in Templi profanatores propriis manibus animadvertens. Ejicit cum flagellis, minis, ac probris vendentes; menſas eorum, nummos, & merces evertit, & ira, quæ in oculis ejus emicat, ſpecies auctoritatis, quam induit, & oculorum ejus fulgura tantum in animos timoris, terroriſque incutit, ut nemo illius furori audeat reſiſtere. Verumtamen nulla me capit admiratio; in aliis enim criminibus contumelia non ſemper immediate refertur ad Deum; & peccatoris nequitia non adeo procedit, ut Deum ipſum laceſſat. Ceterum, quamvis univerſus hic orbis ſit veluti Templum, ubi recipit creaturarum ſuarum obſequia; tamen hoc Templum illi eſt commune cum hominibus, qui ibi ſuas extruunt civitates, & domos. Sed cum Templa ſint unice deſtinata cultui, qui debetur illi, hæc eſt profanatio loci, qui illi ſacer eſt, ideoque hæc eſt contumelia, quæ directe ad ipſum refertur; atque ut oſtendat eamdem ad ſeipſum pertinere, ipſe ſe ipſum ultorem minitatur.

Ut igitur criminis hujus indignitatem intelligatis, reperio in Scripturis, Deum tres præſertim qualitates ſibi vindicaſſe, quæ impulerunt homines, ut Templa illi ædificarent, & quæ proinde a nobis exigunt obſequium omne, quod illi adhibere poteſt Creatura.

Prima eſt Monarchæ, & Domini, qui Templa hæc noſtra in ſuas ædes convertit, & in locum, quem modo prorſus peculiari replet, unde factum eſt, ut veteres illa *Baſilicas* nuncupaverint, videlicet Ædes regias, ubi Rex gloriæ plerumque inhabitat. Qualitas altera eſt Sacerdotis, quam Salvator ſibi vindicavit, & quatenus talis ſibi Templa noſtra delegit in locum Sacrificii, cujus ipſe eſt victima; quamobrem uſque in præſentem diem Templa vocantur. Tertia denique eſt qualitas Protectoris, & Patroni populi ſui, quapropter hæc Templa conſtituit tamquam locos aſyli, ac refugii contra Juſtitiam ſuam: verum æquum eſt, ut & ipſe tutus ſit a noſtris contumeliis, quæ cauſſa eſt propter quam vulgo Eccleſiæ dicantur, nempe loci quo Fideles conveniunt oraturi, & placaturi iracundiam Dei, quem alibi ferme ubique laceſſimus. Hi autem ſunt tres tituli propter quos hæc conſiderare debemus veluti loca ſancta, quibus proinde profunda habenda eſt reverentia.

Primo propter præſentiam Dei, ibi tamquam in Ædibus ſuis inhabitantis.

Secundo propter magnitudinem myſteriorum, quæ in Templis celebrantur, ubi Deus ipſe in Sacrificium offertur.

Tertio denique propter bona, quæ Deus nobis concedit in Eccleſiis, quas in aſylum pro nobis contra juſtitiæ ſuæ ſeveritatem convertit. Tres rationes propter quas tenemur in Templum accedere cum ea modeſtia, & pietate, quam poſtulat ſanctitas loci totidem titulis conſecrati, qui tres hujus ſermonis partes conſtituent.

*Vide in Tomo IV. Bibliothecæ Moral. Evangel. Titulum:* TEMPLA.

*Invenit in Templo vendentes, & omnes ejicit de Templo.* Joann. 2.

II. ARGUM. Pro eadem die. De pravo uſu bonorū Eccleſiæ.

Nonne mirum eſt Auditores, videre Deum ira ſuccenſum; Illum, qui ſeipſum hominibus præbuit tamquam ipſius ſuavitatis exemplum, & qui in terram deſcendit ad flectendam Patris ſui iracundiam contra homines irritatam? Tamen hoc illud eſt admirabile ſpectaculum, quod oculis noſtris objicit hodiernum Evangelium. Nunc primum viſus eſt Salvator præbere ſpecimen iracundiæ, ille qui adeo perfecte omnibus affectibus ſuis dominabatur. Videte quomodo hac in occaſione imperioſum ſuæ vocis tonum induat, quomodo præſeferat auctoritatem, quomodo oculi, & vultus ejus zelo inflammati coruſcent, & manibus non abſtineat, ut vendentes, & ementes de Templo ejiciat. Nonne obſtupeſcitis videntes illum, qui ſecundum Prophetæ verba non debebat calamum ſemifractum infringere; aliorum menſas evertere, aliorum effundere nummos, circum undique projicere, quod venale proſtabat in hac loci ſanctitate; probris, & minis uti, & ut me verbo expediam, audere, quod alius quilibet ab illo ſi faceret, jure tamquam furoris effectus haberetur? Tu quidem a furore quam longiſſime abhorres, æterna Sapientia, quæ nihil agis niſi juſtiſſimis de cauſſis, diviniſque conſiliis. Noveras hos Sancti Templi tui profanatores indigere aliquo ſeveritatis exemplo, ut criminis ſui enormitatem intelligerent, quale erat indigna profanatione violare locum hominibus, Angeliſque ipſis verendum. Verum eſt, Judæis ſcandalo fuiſſe zelum adeo ſuccenſum, quo ille flagrabat pro domo Dei; ac ſeorſim ab eo quæſiviſſe, quanam auctoritate id operaretur, & quo jure hanc ſibi vindicaret poteſtatem? *in qua poteſtate hæc facis?* Sed certus ſum Auditores, vos nullatenus miraturos, ubi intellexeritis Templi hujus profanationem coegiſſe Filium Dei, ut exprobraret venditoribus, quaſi domum Patris ſui in latronum receptaculum convertiſſent; hanc inquam profanationem levem extitiſſe, ubi comparetur cum illa, quæ aliquando erat videnda ſummo cum Chriſtianiſmi probro, & dedecore per negotiationem magis ſacrilegam, & abominabilem, quæ ibi ſatis frequenter exercetur, & quam nonnulli Sancti Patres, atque potiſſimum Sancti Hieronymus, Auguſtinus, & Chryſoſtomus aſſerunt repræſentatam fuiſſe ab illis, qui negotiabantur in templo. Hæc autem eſt Simonia, quam committunt, qui res ſacras negotiantur, & turpe beneficiorum Eccleſiaſticorum commercium exercent. Quid enim cogitare poſſunt fideles, cum vident Eccleſiaſticos beneficia emendicare turpibus adulationibus, ſervilibus blanditiis, noxiis ſimulationibus, ambitu infami, negotiationibus, & conventionibus, quæ leges Eccleſiæ ſubvertunt, & quas ipſi etiam Laici perhorreſcunt? Quid cogitare poſſunt fideles de hujuſmodi commerciis, quæ ſæculi corruptio introduxit? Quid de permutationibus fraudolentis? De commentitiis reſtitutionibus, reparationibus, quæ ſæpe vel minime factæ fuerunt, vel quæ præter juſtum valorem æſtimatæ ſunt? Quid de reſignationibus, quibus præceſſerunt explicitæ, vel tacitæ promiſſiones ſolvendi penſionem? Quid de conventionibus inter familias pro nuptiis, in quibus componendis ipſa etiam in pactum deducuntur beneficia, quæ affinibus deferuntur, dignisne, an indignis, nihil intereſt. Luc. 20.

De his Profanationibus, Sacrilegiis, Commerciis aptiſſimis ad provocandam iram, atque ultionem Dei, quorum enormitatem dicendo aſſequi non licet, hodierna die apud vos verba facturus invenio Eloquentem Salvianum appellaſſe Simoniam monſtrum in Religione Chriſtiana, idque triplici ex capite.

Primo quia pretium proponit iis rebus, quæ æſtimari non poſſunt.

Secundo, quia ſacrum, & profanum confundit.

Tertio, quia præſefert nimium rerum terrenarum amorem eo in ſtatu, & profeſſione, quam nemo debet amplecti, niſi ut animum ſuum ab illis avellat.

Tria hæc fœderum monſtra in quibus peccatum ſimoniæ ſitum eſt, me admonent, ut ſingula ſeorſim conſiderem, ut melius criminis enormitatem intelligatis, quod noſtro hoc ſæculo uſitatiſſimum eſt, & quod tria continet, quæ in Scripturis maxime improbantur, & ſeveriſſime

punium-